

NOTA. Si dispensatio in sciis partibus petitur, ea ab una saltem acceptari debet, ut possit fieri executio¹ (n. 35, b. 2). Aliter, si fit sanatio in radice, de qua infra n. 224.

§ 3. FORMULÆ LITTERARUM SUPPLICUM PRO DISPENSATIONIBUS OBTINENDIS.

92.—Prænotanda.

I. Exhibentur hic ex auctoribus probatis quædam schemata, necessitatibus ordinariis harum regionum adaptata, quæ dein casu occurrente, considerando etiam ea, quæ alias exposita sunt (ut n. 57, 66 etc.), componens supplicam, si placet, præ oculis habere poterit. Alia conferri possunt ap. Heiss App. ii.; Vecchiotti vol. iii. ad fin.; De Becker aliosque.

II. In fine supplicæ quandoque quædam *specialiter notanda* occurrent, ut: **a.** Ratio, cur pœnitentia mitiganda (n. 75, 82).—**b.** Cur eleemosyna pauperibus condonanda sit, ubi dici poterit: "Oratores paupertatem quotidiano labore vix sustentant ac tenuissimam tantum eleemosynam dare possunt." Idem etiam quoad taxam Cancellariæ Episcopalis adnotari poterit.—**c.** Si de *congrua* eleemosyna Formulæ D. et E. statuenda agitur, etiam status fortunæ Oratorum vel partis catholicæ sive verbis generalibus sive magis specificantibus pro usu Diœcesis exprimendus est, e. gr. (prout alicubi fit): Orator fortunam circiter \$5000 in re, in spe vero \$10,000 possidet. Oratrix in re \$2000, in spe \$6000.—**d.** Petitio pro dispensatione a proclamationibus, una cum causis sufficientibus.—**e.** Petitio pro facultate matrimonio assistendi, quando aliquid obstat, quominus a Parocho id fiat aut si matrimonium secreto celebrandum est (e. gr. occurrente concubinato occulto, impedimento natura sua publico, at nunc occulto etc.) cfr. Bened. XIV. const. *Satis vobis* 17 Nov. 1741.—**f.** Petitio consilii Episcopi, si matrimonium celebrandum est cum publico peccatore, excommunicato etc. cfr. S. Pœn. ap. Kon. *Comp.* n. 1231 qu. 4 et n. 1556.

III. In supplica pro dispensatione omnia, ea præsertim, quæ *causam* dispensationis attinent secundum veritatem exponere, nihil addere, nihil demere,—de omnibus et singulis certitu-

¹ Plura ap. Feije ed. 4. n. 760.

dinem sibi comparare etiam ex libris parochialibus et ex testibus fide dignis res est, qua conscientia sacerdotis, per quem Oratores eam transmittunt, graviter onerata existit.

93.—I. *Pro matrimonio contrahendo, cui obstat impedimentum publicum.*

FORM. I.

Illustrissime ac Reverendissime Domine (*Sede vacante aut Episcopo absente*: Admodum Rev. Domine):

Antonius A., natus die 7 Maji 1860 in Parochia ad SS. Redemptorem civitatis New York, domicilium habens¹ in hac Parochia ad S. Jacobum,—et

Brigitta B., nata die 6 Julii 1867 in Parochia ad S. Michaellem Archang. hujus urbis, domiciliata² in Parochia SSmo Cordi dicata prope hanc urbem,—orthodoxæ fidei cultores, matrimonium inire cupientes, humillime supplicant, ut secum dispensetur in impedimento consanguinitatis, quo in secundo, tertio et quarto gradu conjuncti sunt ex eo, quod sponsam pater ejus genuit ex sua nepte, sponsa autem consobrina est cum avia sponsi, prout ex subjecta patet arbore genealogica.

Causæ petendæ dispensationis sunt:

- a.** Ætas Oratricis, quæ annum 24 excedens, virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenus non invenit;
- b.** nimia familiaritas cum periculo diffamationis;
- c.** excellens meritum sponsi ob contributionem notabilem ad erectionem hospitalis catholici;
- d.** orbitas sponsæ, quæ proin indiget protectore.

Hic addantur specialiter notanda (n. 92).

Instituta diligenti, quantum potui, de præmissis informatione, compertum mihi est, preces veritate niti.³

Maximæ reverentiæ sensa exprimens, subscribo . . .⁴

BALTIMORÆ, Md., ad S. Jacobum,
1225 E. Eager Str. 30 Maji 1892.

N. N.,

Rector.


¹ Si fuerit vagus, loco: *domicilium habens*, scribe: *qui, relicta sua Diœcesi, sedem in alia nondum fixit.*

² Si vaga, ut supra, mutato *qui* in *quæ*.

³ Supponitur semper, sacerdotem diligenti examine preces veritate niti comperisse.

⁴ Aut brevius ut n. 64.

Arbor Genealogica.



FORM. II.

IN IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

Illustr. . . .

N. . . . N. . . . : (*prænomen et nomen gentilicium partis catholicæ*) nata (*vel natus*) die . . . mensis . . . anni . . . (*additur locus, Parochia, Diæcesis originis*), domicilium habens¹ (*additur locus, Parochia, Diæcesis actualis domicilii sive verum sive quasi-domicilium sit*), humillime supplicat, ut secum dispensetur in impedimento disparitatis cultus (*si aliud præterea adsit impedimentum, addatur: et in impedimento . . .*), quatenus matrimonium contrahere possit cum N. . . . N. . . . (*prænomen et nomen gentilicium partis infidelis*), infideli² (*vel, si juxta dicenda n. 223. c. dubitetur de ipso collati baptismi facto: de quo [vel de qua] non certo constat, utrum baptismus ipsi aliquando collatus fuerit*), nato (*aut nata*) die . . . mensis . . . anni . . . (*additur locus originis, scil. pagus, civitas, provincia, regnum*).

Si impedimentum, quo disparitas cultus cumulatur, sit impedimentum consanguinitatis vel affinitatis, addatur gradus, linea et arbor genealogica, ut supra Form. I. et infra n. 118.

Causæ (*vel causa*) petendæ dispensationis sunt (*vel est*):

1. Spes fundata conversionis totius familiæ; 2. educatio prolis catholicæ ex priori matrimonio, in quo conjux catholicus mortuus est.

¹ Si vagus vel vaga, scribatur ut *Form. I.*

² Si sit Judæus vel Judæa, loco: *infideli*, scribatur: *Judæo* vel *Judæa*. (Cfr. infra n. 217).

Partes coram me infrascripto promissa dederunt ab Ecclesia præscripta, ut constat ex chirographo rite subscripto et apud me consignato (*aut si Episcopi statuta id requirunt: prout patet ex adjunctis, quibus subscripserunt, formulis*).

Specialiter notanda (n. 92.)

Instituta diligenti, quantum potui, de præmissis informatione, compertum mihi est, preces veritate niti, neque, quoad id scire valeo, dubium rationabile de sinceritate promissionum a partibus respective factarum moveri posse nec partem catholicam periculo perversionis extraordinario per hoc matrimonium sese exposituram esse.

Maximæ etc. ut Form. I.

NOTA. Sequens formula adhiberi poterit pro parte infideli.

Agreement.

I, the undersigned, not a member of the Roman Catholic Church, wishing to contract marriage with¹, a member of the Roman Catholic Church, purpose to do so with the understanding that the marriage bond thus contracted is indissoluble, except by death; and I promise that¹ shall be permitted the free exercise of religion according to the Roman Catholic Faith, and that all children, of either sex, born of this marriage, shall be baptized and educated in the faith and according to the teachings of the Roman Catholic Church, even if¹ should happen to be taken away by death. I furthermore promise that no other marriage ceremony than that to be performed by the Catholic Priest shall take place.

Signed in the presence of the Reverend Priest at this day of 18

..... } Witnesses.

Hæc promissio, in cujus confirmationem etiam juramentum pro circumstantiis exigere potest, si Episcopus præscripsit, ut exemplar ad ipsum transmittatur, in duplo subscribendum, et illud pro parcho in Archivio parochiali reponendum est.

Sicubi in usu est, ut etiam pars catholica promissum scriptum det, hæc formula adhiberi potest:

I, the undersigned, of, a Catholic, wishing to marry N. N., not a member of the Roman Catholic Church, do

¹ Name of the Catholic party.

hereby promise that, if the Bishop finds a canonical cause for granting me a dispensation, I will have all my children baptized and reared in the Catholic Church, and that I will practice my religion faithfully and do all that I can, especially by prayer, example, and the frequentation of the Sacraments, to bring about the conversion of my consort.

Datum

N. N.

FORM. III.

IN IMPEDIMENTO MIXTÆ RELIGIONIS.

Omnia scribuntur prout supra in Form. II., excepto quod loco: *disparitatis cultus* dicitur: *mixtæ religionis*, et loco: *infideli* dicitur: *hæretico* (aut *hæretica*) vel *schismatico* (aut *schismatica*). Casus schismatici aut schismaticæ apud nos rarus est. Formula *Agreement* omnino eadem est.

94.—II. *Si matrimonio contrahendo obstat impedimentum occultum.*

FORM. IV.

IN AFFINITATE EX COPULA ILLICITA.

Illustr. . . .

Petrus Annam ducere parat, cujus sororem carnaliter cognovit—(vel: Anna nubere parat Petro cum cujus fratre carnale habuit commercium). Quare Amplitudo Tua dispensationem concedere dignetur. Ratio est, quia res occulta latet, et alias dissidia et scandala sat probabiliter sunt oritura; occasio autem amplius peccandi Oratorem inter et sororem sponsæ (vel: Oratricem inter et fratrem sponsi) penitus amota est. Summæ etc.

Ita in 1 gradu laterali. Immutationes quoad reliquos gradus fieri possunt juxta dicenda in art. 2 Form. D.

FORM. V.

IN OCCULTO IMPEDIMENTO CRIMINIS.

(Nisi sacerdos habeat fac. 8 Form. 1.)

Illustr. etc.

Petrus rem habuit cum Anna, eique promisit matrimonium vivente uxore sua nunc defuncta, neutro tamen machinante.

Vel: Petrus et Anna in mortem uxoris Oratoris (aut viri Oratricis) cum effectu machinati sunt ex intentione matrimonium inter se contrahendi. Vel: Petrus, post adulterium cum Anna commissum, hac inscia, in uxoris suæ (aut: Anna, post adulterium cum Petro commissum, hoc inscio, in viri sui) mortem cum effectu machinatus (aut: machinata) est ex intentione Annam ducendi (aut: Petro nubendi).

Nunc autem, cum res occulta sit, implorant Amplitudinem Tuam pro benigna dispensatione super impedimento criminis ad matrimonium contrahendum. Rationes sunt, quia alias concubinitus periculum et gravia scandala timenda sunt.—Maximæ etc.

NOTA. Licet Episcopi nostri, vi facultatum, in sola illa, specie impedimenti criminis, quod neutro machinante patratum est, dispensare valeant, rectius tamen ad ipsos etiam pro dispensatione in secunda ac tertia ejusdem impedimenti specie recurritur: nam vel ex speciali aliquo forte indulto a S. Sede impetrato, vel, dum requisitæ adsunt conditiones, vi potestatis quasi-ordinariæ in utraque etiam ista specie dispensare poterunt. Quod si neutro modo impedimentum auferre possint, ipsi supplicam ad se directam Romam permittent.—Casu quo sigillum sacramentale periculo objiceretur ex recursu ad Episcopum, confessarius supplicam mittat ad Card. Præfectum aut ad Pœnitentiarium Majorem, eamque immutabit hoc modo: *Loco: "Illustr." scribatur: "Eminentissime Princeps;" loco: "Amplitudinem Tuam" scribatur: "Eminentiam Tuam Reverendissimam." Post verba: "timenda sunt" addatur: "Responsum digneris dirigere ad (me) infrascriptum confessarium."* [*Loco: "Maximæ etc." scribatur: Purpuram deosculans summa, qua par est, veneratione permaneo,*

Eminentissime Princeps],¹

Eminentia Tuæ Reverendissimæ

submississimus famulus,

N. N.

Adjicitur anglice locus (scil. oppidum, civitas—street, church—cum comitatu, Statu—U. S. of America), quo responsum mittendum est.

Exterius: His Eminence MIECZYSLAW CARD. LEDOCHOWSKI, Propaganda.—ROME, Italy.

¹ Aut brevius ut n. 64.

Aut: His Eminence CARD. PENITENZIÈRE MAGGIORE,
Palazzo della Cancelleria.—ROME, Italy.

N. B.—In his et similibus casibus litteræ supplices apud nos etiam mitti possunt ad Dominum *Delegatum Apostolicum*.

Tituli adhibendi sunt: *Excellentia—Dominus Excellentissimus* etc.

Esterius: Most Rev. Mgr. SEBASTIANO MARTINELLI,
201 I Street, N. W.,
Washington, D. C.

FORM. VI.

IN PUBLICA HONESTATE EX SPONSALIBUS.

(Nisi sacerdos habeat fac. 7 Form. I.)

Petrus (*vel* Anna) matrimonium parat cum Anna (*vel* Petro), cum cujus sorore *vel* matre *vel* filia (*vel* fratre *vel* patre *vel* filio) sponsalia, quæ tamen mutuo consensu soluta sunt, occulte inierat. Ne alias dissidia in familiis oriantur, dignetur Amplitudo Tua dispensationem concedere.

FORM. VII.

IN CASU IMPEDIMENTI PUBLICI ET OCCULTI.

Petrus et Anna, consanguinei in (*v. g.* tertio) gradu æquali (*vel* attingente *v. g.* secundum ex parte Annæ *vel* Petri) lineæ collateralis (super cujus impedimenti dispensatione pro foro externo cura habetur in alia supplica), ac præterea affines ex copula Oratricis cum fratre sponsi, desiderant matrimonialiter conjungi.

Ne Oratores prorsus diffamati existant, et dissidia scandalaque oriantur, Amplitudo Tua providere dignetur.

NOTA. Si Episcopus careat facultate super impedimenta cumalata et locus non sit potestati quasi-ordinariæ, Parochus, qua talis, supplicam Formulæ I., pro foro externo, dirigit ad Cardinalem Præfectum S. Cgnis de Prop. Fide, confessarius vero præsentem supplicam ad eundem, vel, si periculum lædendi sigilli subsit, ad Cardinalem Pœnitentiarium Majorem, mutatis mutandis ut in nota post Form. V. Si Episcopus in utroque simul impedimento dispensare quidem potest, sed ex recursu ad ipsum sigillum periclitaretur, confessarius pro impedimento fori interni præsentem Formulam ad Cardinalem Præfectum S. Cgnis de Prop. Fide permittat, mutatam tamen, ut jam dixi, juxta notam Form. V. subjectam.

95.—III. *Matrimonio contracto.*

In supplica omnia servantur, quæ in præcedentibus Formulis, et insuper, quæ supra n. 65 pro matrimoniis contractis atque in proxime sequenti Form. VIII. sub (3) indicantur. Nomina pro diversitate casus exprimentur aut vera aut ficta. Additur etiam arbor genealogica ut in Form. I.

FORM. VIII.

Illust. etc. (*vel* Eminentissime Princeps).

(1.) N. . . . N. . . .

(2.) Matrimonium, sine prævia dispensatione, inter se contraxerunt non obstante impedimento . . . (*vel* prævia quidem dispensatione ante diem 25 Junii 1885 obtenta super impedimento, . . . reticito tamen incestu inter se commisso *aut* reticita intentione facilioris dispensationis in incestu inter se commisso—*vel* prævia quidem dispensatione super impedimento, . . . quæ tamen irrita remansit ob falsam allegatam causam—*exponatur hæc*). . .

(3.) Matrimonium contractum fuit cum (*vel* sine) scientia impedimenti (*vel* cum scientia quidem impedimenti, sed absque scientia nullitatis matrimonii) servata (*vel* non servata) forma Trid. (*vel* coram præcone hæretico), cum (*vel* absque) spe facilius dispensationem obtinendi. Oratores (*vel* Orator, *aut* Oratrix) ad hoc usque tempus impedimentum (*aut* nullitatem matrimonii) ignorant (*aut* ignorat). *Vel:* Oratores (*vel* Orator, *aut* Oratrix) impedimenti et nullitatis matrimonii nunc conscii sunt (*vel* conscius, *aut* conscia est). *Vel:* Impedimentum et nullitas matrimonii Oratori (Oratrici) tantum nota est, et alteri sine periculo manifestari (non) potest etc. (cfr. supra n. 65.). Liberi ab utroque putativo conjugate geniti sunt quattuor ætatis unius, trium, quinque et septem annorum.

Quare de præmissis, quæ occulta sunt, quam plurimum dolentes pro suæ conscientie quiete recurrunt (*vel* dolens . . . recurrit) ad Amplitudinem Tuam, ut auctoritate Apostolica delegata ipsis (ipsi) per dispensationem providere dignetur.

(4.) Causæ sunt: **a.** Scandala, quæ ex divortio nascerentur; **b.** periculum incontinentiæ ex cohabitatione; (**c.** legitimatio et provisio prolium).

(5.) *Specialiter notanda* (n. 92).

FORM. IX.

AD PETENDAM SANATIONEM IN RADICE.

(Vi Art. 6, Form. D.)

Illust., etc.

Caja (*vel* Cajus), ignara (*vel* ignarus) aut conscia (*vel* conscius) impedimenti, præmissis (*vel* dispensatis) proclamationibus servataque Tridentini forma,¹ contraxit matrimonium cum viro (*vel* muliere), a cujus fratre (*vel* patre, *vel* filio, *vel* nepote, *vel* avunculo aut patruo) prius carnaliter fuerat cognita (*vel* cujus sororem, *vel* matrem, —filiam, —neptem, —materteram, —amitam prius carnaliter cognovit). Jam vero cum ex una parte absque scandalo separari non possint, et periculum incontinentiæ subsit, ex altera autem parte marito putativo (*vel* uxore putativa) impedimenti plane inscio (*vel* inscia), consensus matrimonialis nequeat renovari absque gravi dissidiorum periculo, hinc Amplitudo Tua humiliter rogatur pro celeri remedio dispensationis super hujuscemodi impedimento occulto, ac quidem cum sanatione in radice matrimonii.

NOTA. Si agitur—de impedimento cumulado (v. g. de consanguinitate et affinitate ex copula illicita),—aut de impedimento publico vel occulto quidem, sed utrique parti cognito, et timor sit ne vel neutra vel altera pars consensum renovare recuset, ad S. Sedem recurrendum est sive directe (vide Form. V.), sive cum nullum sigilli sacramentalis periculum metuendum est, per Episcopum.

FORM. X.

AD PETENDAM SANATIONEM DISPENSATIONIS NONDUM APPLICATÆ SEU "PERINDE VALERE," RESP. AD PETENDAM NOVAM DISPENSATIONEM.

Alias Amplitudini Tuæ præsentata fuit sequens supplica (*describitur quoad substantiam prior libellus. Si sananda est dispensatio pro foro interno concessa, dicitur: Alias obtenta fuit dispensatio pro foro interno favore N. et N. nomina fictitia.*)

Tempore autem, quo conficiebatur præmissus libellus, me latebat (*vel, si ab alio compositus fuit libellus: latebat scribentem describitur quod latebat*) *vel: Postquam expeditus fuit ille libellus (vel, si dispensatio pro foro interno petita fuit: Post-*

¹ Quando proclamationes et forma Trid. omissæ fuerint, cfr. n. 16, et præsertim n. 224.

quam rogata fuit ista dispensatio) supervenit (*indicatur quid supervenerit.*) Rogatur igitur Amplitudo Tua, ut, amplioris gratiæ favore prosequendo Oratores (*exponitur quod petendum est, v. g. nova dispensatio, quia causa fuit falso exposita; vel sanatio dispensationis per correctionem nominum prius perperam scriptorum; vel sanatio cum nova dispensatione, quia novum impedimentum detectum fuit*), gratiam Perinde valere (*vel novam dispensationem*) concedere dignetur.

Causæ sunt: **a.** Scandala ex non concessa dispensatione probabiliter secutura: **b.** etc.

FORM. XI.

AD REDINTEGRATIONEM DISPENSATIONIS IN CASU NECESSITATIS A CONFESSARIO CONCESSÆ.

Cajus, postquam Titiam carnaliter cognoverat, ignarus impedimenti, sponsalia contraxit cum sorore Titiæ et ad nuptias celebrandas jam diem determinavit, convivium indixit, convivas invitavit cunctaque alia præparavit. Quare, cum impedimentum in cujus notitiam devenit, fuisset omnino occultum, et donec dispensatio allata esset, nuptiæ sine gravi diffamationis periculo ex variis suspicionibus proveniente, et sine scandalis exinde orituris differri non potuissent: idcirco pro hujusmodi casu necessitatis cum eodem Oratore pro effectu contrahendi et consummandi matrimonium dispensavi, et nunc humillime supplico, ut Amplitudo Tua plenam gratiam dispensationis auctoritate Apostolica quantoque impertiri dignetur.

96.—*Formula in lingua anglica, quæ pro more nostro ad Cancellarium Eppi diriguntur.*

I. Banns.

To the Rev. Chancellor.

N..... and N..... of this parish humbly pray the Right Rev. Bishop (Most Rev. Archbishop), to grant them a dispensation from publications of the banns of marriage.

The reason is (*canonical reasons*).

Please find enclosed \$

Date.....

N., Rector.

II. *Mixed Marriage and Disparity of Cultus.*

N....., a Catholic of this parish, wishing to marry N....., a non-Catholic, humbly prays the Right Rev. Bishop, as delegate of the Holy See, to grant a dispensation from the impediment of mixed religion (or disparity of cultus).

The reasons are.....

N....., the non-Catholic, was baptized in the sect (or was never baptized). The same makes the necessary promises in writing. N....., the Catholic, likewise promises what is required. Every reasonable effort has been made to dissuade the petitioner from the marriage, but without avail. There appears to be no extraordinary danger of perversion.¹

Please find enclosed \$..... for alms.

N., *Rector.*

III. *Consanguinity.*

N..... and N....., of this parish, humbly pray the Right Rev. Bishop, as delegate of the Holy See, to grant them a dispensation from the impediment of consanguinity in the degree collateral.

The reasons for the application are.....

[Please find enclosed \$..... for alms.]²

N., *Rector.*

IV. *Affinity by Marriage.*

N..... and N....., of this parish, humbly pray the Right Rev. Bishop, as delegate of the Holy See, to grant them a dispensation from the impediment of affinity in the degree collateral, arising from marriage, N.....'s first wife, now deceased, having been a to N.

The reasons are (*canonical reasons.*)

[Please find enclosed \$..... for alms.]²

N., *Rector.*

V. *Illicit Affinity.*

N..... (*fictitious name*), wishing to marry B....., humbly prays the Right Rev. Bishop, as delegate of the Holy See, to grant a dispensation from the impediment of affinity in the (first) degree (collateral) arising from illicit copula with (*for ex.* the sister) of B.

The reasons are (*canonical reasons.*)

Please find enclosed \$..... for alms.

N., *Confessor (or Rector).*

¹ This clause must be added in some dioceses in pursuance of special statutes to this effect.

² Si dispensatio conceditur vi Form. E.

VI. *Healing in the Root (Sanatio in Radice).*

N..... (*fictitious name*), wishing to validate his (or her) marriage with B....., humbly prays the Right Rev. Bishop, as delegate of the Holy See, to grant a radical dispensation (*in radice*), removing the impediment of (*for ex.* affinity in the first degree collateral arising from illicit copula with the sister or brother of B.), which he (or she) concealed at the time of marriage with B. who is still ignorant thereof.

The reasons for requesting a radical dispensation (*in radice*) are, on the one hand, scandal and danger of incontinence resulting from separation, if imposed; on the other hand, impossibility of obtaining the renewal of B.'s consent without serious danger of dissensions.

Please find enclosed \$..... for alms.

N., *Confessor (or Rector).*